



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Qualiter Sathanas sectarios in errore captiuos tenet. tit. 206

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Sic quoq; Christus in nobis & tota Ecclesia Catholica conuicia patitur Matt. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. At interea Christus ac peior, nec melior euasit, propter conuicia Pharisaeorum. Vide infra Tit. 300. de motiuis patientiz, & 4. Reg. 2. Illudunt pueri prophetam Helisaeum, Alcen. de calue &c. Sic Noe iustus subsannatur, 2. Pet. 1. Et Loth angustiatur, qui correxerunt vitia populi, Gen. 7. & 19. Sed hæc omnia sustinuerunt propter veritatem Dei. Sic nos cum Ecclesia Catholica.

*QVÆLITER SATHANAS  
seclarios in errore captiuos tenet.*

TITVLVS CCVI.



RIM ò, scribit Lucas capit. 24. quomo dò duo discipuli euntes in Emmaus, locati sunt Christo, attamen eorum oculi sunt detenti, nè eum agnoscerent. Nam ex communī fama, quòd Pharisei Christum reputabant malefactorem, & iuste crucifixum, quodammodo incepérunt dubitare de Christo. Ideo dicunt, Nos sperabamus quia ipse redemptus esset Israel. Subinde factum hoc est ex sathanæ insinuatu, sicut dicit Augustinus libro 3. de consensu Euangelistarum, qui fecit hoc impedimentum, nè eum agnoscerent, donec ventum est ad fractionem panis. Sic illius studio fit, vt primò seminetur error: Subinde odium causatur in prælatos ecclesiæ & veterem doctrinam. Terridò sic excæcantur, quòd putant Hæreticum esse Euangeliū, & se vera habere sacramenta & cultum Dei: & sic captiui tenentur usque ad mortem, nisi Deus eorum aperuerit oculos, vt cognoseant Ecclesiæ veritatem. Sic Græci, Turcæ, Donatistæ, Ariani, omnes in tali cæcitate pergunt captiui, quòd putant se habere veram fidem & Euangeliū, &c. quod tamen non habent, neque sacramenta. Sic, 2.

Timo, 2.

Timo. 2, inquit Apostolus, quod oporteat seruum  
Dei esse docibilem, patientem, ut aliquando rebelles  
agnoscant veritatem, & resipiscant a Diaboli laqueis  
a quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

Secundo, inquires: Quis me certificat, quod sit verum Euangelium, aut falsum, cum non habeam alios  
predicatores? Respondeo: Deus ideo ordinavit potestatem Papam, Matthae. 16. Tu es Petrus, & Cæsar. Matth. 22. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, &c. Ad has potestates tanquam capita Ecclesiæ respicere debemus, & illis obedire. Rom. 13. Omnis anima potestatis sit subdita; ideo & Deus illas ordinavit. Hæc potestas significare habet errores. Si quis peccauerit, deferatur Ecclesiæ iuxta Christi præceptum, Matth. 18. Dic Ecclesiæ. Papa igitur dixit cum bulla, Cæsar cum banno, Ecclesiæ, id est, fidelibus, errores hæreticorum, & iubet vitare eos, Tit. 3. Igitur si quis perrexerit contra obedientiam illam, nec capita, nec concilium audiérunt, ille habendus ut ethnicus, id est, cijciendus de communione fidelium &c.

Tertio, inquires: Nihil facit excommunicatio Pa-  
pæ in Græcia, Turcis, &cæt. multa regna & ducatus  
sunt excommunicati, attamen hodiè in bona fortuna  
perseuerant: Deus ideo dat illis pluiam & solem  
Matth. 5, sicut Christianis Catholicis. Respondeo:  
Christus Ioann. 20. dicit, quod in cælo claves debent  
esse efficaces, & quo ad remissionem peccatorum, &  
ingressum regni cœlestis. Esto, quod hic prosperentur  
excommunicati &c. Deus enim dat hæc temporalia  
bonis & malis: sed æterna regna, viram & gloriam  
solum fidelibus & credentibus. Illi qui hic ligati fuerunt  
in terris, si poenitentiam non egerint, in cælo  
sentient se ligatos; et si hoc hic credere nolunt, aut  
etiam potestatem clavium contemnunt, non ideo li-  
beri sunt in cælo. Supra hoc etiam regna & ciuitates  
excommunicatæ, non diù retinent fidem, pacem po-

H H h 3 litiæ

litiæ &cæt. Est enim cum illis efficax Sathanas, &c.  
Ideò in omnibus respiciendum est ad Catholicam  
potestatem, & illi obediendum.

DONA SPIRITUSSANCTI  
et i extra charitatem quid valent.

TITVLVS CCVII.

**P**RIMÒ, multos mouet, quod dicitur, hæreticos non habere spiritum sanctum, quando tamen utuntur donis spiritus sancti, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. At illi dulcissimè predican Christum, sunt docti & facundi, Euangeliū & scripturā exponentes, scribentes, glossantes, &c. Sunt plenique bonę vitę, faciunt miracula, habent concursum populij. &c. & quomodo nunc dicuntur non habere spiritum sanctum? Respondeo, sunt aliqua dona & opera, quę spiritus sanctus solum mouet in malis, id est, incredulis, hæreticis, Turcis, &c. Et sic verum à quo cūque dicitur, inquit Augustinus, à spiritu sancto est. Sic Balaam Num. 24. prophetat, & futura predicat de Christo, id est, orietur stella ex Iacob, &c. & Caiphas Ioan. 11. quod Iesus moriturus esset pro gente. Sic Apostolus 1. Cor. 12. inquit esse diuersa dona spiritus. Illi datur per spiritum sermo sapientia, alii scientia, alii donum fidei, alii gratia sanitatum, alii operatio miraculorum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, &cæt. Hæc singula diuidit spiritus, prout vult, tām in bonis quam in malis.

Secundò, inquit Apostolus 1. Cor. 12. Demonstro autem vobis adhuc excellentiorem virtutem & donum, id est, sine quo cætera nihil profundit ad salutem æternam consequendam, & illa est charitas, ne qua nemo saluus fiet, 1. Ioann. 3. Qui non diligit

masct